



Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In Qvo Genuina sententia profundissimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis Christi Salvatoris, & de prædestinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè ostenditur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

2. Varia discrimina proferuntur inter adiutorium Dei medicinale & prædeterminationem physicam, prout à defensoribus eius traditur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13704

Itaque longè propius illi ad veritatem accesserunt. Ipsam quippe medullam gratiæ Christi respectu læsæ voluntatis, hoc est, **ADIVTORII** quo tetigerunt, quæ in ista potenti consensio- nis efficientia ac donatione consistit; & per illam ab omni alia spuria gratia, quam Pelagiani & Semi-Pelagiani prædicarunt, maximeque ab illa gratia *sine qua non*, quæ stantis hominis & Angelorum voluntati pro-

Apria est, separatur. Ut sane merito dici possit, doctissimos illos viros primæ sententiæ defensores, veram Augustini sententiã de gratiã Salvatoris vidisse atque tenuisse. Quod si quid ei ulterius adjecerunt, ex superfluentibus humana Philosophiæ excessibus factum est, qui ad tuendam perspectam veritatem, satagentis animi conceptibus naturalem scientiam in subsidium rapientibus, ebullire solent.

CAPVT SECVNDVM.

Varia discrimina proferuntur inter adiutorium Dei medicinale & prædeterminationem physicam, prout à defensoribus eius traditur.

SI enim iustis ponderibus totum illud quod physica prædeterminationis auctores ad Augustini sententiã explicandã tuendam quæ dicunt, metiri & excutere voluerimus, perspicue deprehendemus nonnulla adjecta esse à recentioribus, quæ cum August. doctrina nullo modo congruunt. Et quidem quod Christi auxilium nomine prædeterminationis physica, quod Augustino ignotum est, nuncupaverint, nihil refert. Sufficeret si rem ipsam sanctus Doctor traderet. Cum enim aliquid propter novas opiniones emergentes efficaciter exprimendum & accurate ab alijs distinguendum est, rem veterem novo vocabulo insignire nihil vetat. Sed etiam in rebus ipsis, operanti modo accessorij, non mediocriter discrepantia est.

Nam primo, juxta sententiã istorum recentiorum, prædeterminatio physica est motio pascio quæ virtuosa, quæ habet esse quoddam incompletum, & sit in voluntate per motum quo colores sunt in aëre, & impetus in re quæ impellitur, Cujus profecto speculationis in Augustino nullum vestigium esse video. Nam Augustino vera Christi gratia est verissimus motus voluntatis, ineffabilis videlicet delectatio objecti quod proponitur, quæ totum animum cum ingenti jucunditate sursum rapit, quemadmodum nos fulsissime supra demonstravimus. Vnde non est sicut color in aëre, aut virtus artis in instrumento, sed sicut verissima & realissima voluntatis affectio in suo connaturali & proprie dicto subjecto esse solet.

Secundo prædeterminatio physica non est eis actus vitalis animi, sed aliquid cui voluntas tantum passivè subjacet; Christi adiutorium est actus verus & vitalis, quo anima haud secus afficitur, movetur in Deum, ac quando simili delectatione terrenis rebus inhæret. Idcirco quippe datur animo perniciosissis desiderijs & voluptatibus implicato, ut earum impetus illa cælesti ac **VICTRICE DELECTATIONE** superetur. Nam ex illo effectu etiam nomen victricis delectationis ei impositum est, de quo etiam supra loco suo satis dictum est. De hac igitur gratia sanante animum, ac vehementissime delectante mo-

Atibus suis delectationi carnis repugnantibus, & adjunctis ei intellectus illustrationibus, Augustinus innumeris locis loquitur. ubi de vera Christi gratia contra Pelagianos asserenda & explicanda occupatur. Nec ullus omnino locus ex universis Augustini Scripturis, quantum intelligere potui, proferri poterit, qui talem prædeterminationem tanquam Christi gratiam præ se ferat aut probeget, sed loca solummodo quædam generalia, ut quod Dei dicitur: *Avere* *lib. de gra. lere cor sap. deum*, *Facere ut velimus bonum, facere* *lib. arit. ut facimus, operari velle & perficere, præbere vias* *cap. 14. efficacissimas voluntati: Hanc & ex mala natura in* *cap. 16. bonam: d. Cor. regu. occul. ista & efficacissima po-* *cap. 19. testate convertere, & transire de voluntate laudandi* *lib. 1. ad Bonif. c. 20. ad voluntatem savendi: & trahere miris modis in ho-* *de lib. c. 19. mines v. scilicet, & volentes ex nolentibus fieri: & interna* *lib. de grat. atque occulta, mirabili ac ineffabili potestate operari* *lib. 1. c. 24. in cordibus hominum bonas voluntates: & vocatione* *Epist. 107. alta atque secreta sic agere hominis sensum, ut eadem* *in Vitalen. h. lib. 1. prælegi atque doctrina accommodaret assensum: h. duri-* *dest. 55. c. 8. nam cordis auferre: i. ad se convertere hominum vo-* *lib. cap. 20. luntates: & mirabili modo & ineffabili operari velle.* *ibid. l. 1. ibid. c. 16.* *Vocare secundum propositum ut fiat credens, & hu-* *jusmodi, quæ quidem indicant Deum voluntates hominum inclinare atque determinare quo voluerit, sed in omnibus istis ac similibus testimonijs, non est unus apex, qui hoc significet, per hujusmodi prædeterminationem ex philosophia profectam effici. Nam ea in alijs etiam eorundem librorum locis, ubi determi-* *natus se explicat, ad eos quos diximus dile-* *ctionis motus restringuntur: quos cum ipsi-* *met prædeterminationis auctores sub illa præ-* *determinatione comprehendere volint, relin-* *quunt, sperant vim inferi testimonijs Au-* *gustini, quibus sententiã illam suam asser-* *tam voluit.*

Tertio prædeterminatio physica talis esse dicitur, ut in quibuscumque circumstantijs voluntas collocetur, semper faciat facere & operetur effectum suum, omnem quæ superet resistentiam: Christi adiutorium nullo modo. Nam delectatio victrix quæ Augustino est efficacæ adiutorium, relativa est. Tunc enim est victrix quando alteram superat. Quod si contingat alteram ardentiorem esse, in solis inefficacibus desiderijs hærebit animus, nec efficaciter unquam

Vid. de
1. de virt.
lib. 1. c. 10.

lib. 1. c. 10.

unquam vellet quod volendum est, Quæ de re, vide quæ in istis locis à nobis dicta sunt.

Quarto quod prædeterminatio physica fit instar concursus cuiusdam generalis Dei in ordine supernaturali: adiutorium Christi nullo pacto, nihil enim ei respondet in agentibus naturalibus, ut ex sequenti discrimine magis patet.

Quinto prædeterminatio physica necessaria statuitur omnibus agentibus ex vi causæ secundæ quæ essentialiter tam in operari, quam in esse suo subordinatur primæ, à qua ad agendum præmoveri debet: Christi adiutorium nequaquam, sed læta voluntati propter solum vulnus necessarium est, quod ei infixit peccantibus voluntatis audacia. Quod etiam fuisse declaravimus. Nam inde gratia Christi medicina, & adiutorium medicinale ab Augustino dicitur, & Christus Dominus Salvator & Medicus, ipsoque proprio non in *te tu*: ut, de si homo non peccasset, neque Christus neque adiutorium eius fuisset opus.

Sexto prædeterminatio physica in agentibus liberis insuper exigitur, propter naturalem indifferentiam voluntatis quam, ut aliquid agere possit, prædeterminare debet: Christi adiutorium nequaquam. Nam si concupiscentijs voluntas vulnerata, sicut in quadam corporis membra, si etiam in appetitus suos proprium perdidisset imperium, nulla Christi gratia eam determinare debuisset; quemadmodum in sanctis Angelis plene & Adamo nonnihil patuit, qui deus absque Christi adiutorio in sanctitate manserunt.

Hinc septimo prædeterminatio physica expressè dicitur statui innocentie tam Angelorum quam hominum fuisse necessaria: Christi adiutorium ei repugnat capitaliter; sicut Augustinus ex professo docet. Voluntas enim eorum sic erat instituta, ut cum adiutorio non Christi Salvatoris medicinali, quo fit ut velimus & agamus læte, sed cum adiutorio sine quo non volumus aut agimus bene, possent si vellet in sanctitate persistere; & Adamus multis horis, Angeli etiam absolute in collata sanctitate perseveraverunt. Ex quo factum est, ut Augustinus dicat Angelos *per liberum arbitrium* in veritate steterisse, quod nunc hominibus conferri debet per gratiæ donum. Quæ de re fuisse in libro de gratia primi hominis, & iterum de modo operandi gratiæ Christi disputatum, Itaque Christi adiutorium non propter indifferentiam voluntatis determinandam, non propter generalem causæ secundæ à prima dependentiam, non propter æquum honorum supernaturalitatem, sed propter solam liberi arbitrij impotentiam, & fractas voluntatis vires, quæ ex libidinum terrenarum dominatione prostratæ sunt, hominibus lapsis Christi incarnatione & sanguine præparatum est: cuius quemadmodum neque passio & mors, neque incarnatio fuisset Angelis aut hominibus necessaria, si nemo peccasset, ita neque istud proprium incarnationis & mortis eius adiutorium.

Quapropter qui medicinalem Christi Salvatoris gratiam sic defendere conantur, ut eam in talem prædeterminationem physicam transforment, omni statui hominum lapsorum & innocentium ex vi causæ primæ & indifferentiæ voluntatis necessariam, magis profecto Aristotelici quam Augustiniani sunt. Nam talis prædeterminatio sic asserta, non solum nullo testimonio eius probari potest, sed potius universam doctrinam ejus in numeris locis traditam in explicabili confusione perturbat. Tollit enim differentiam integre lætæque voluntatis, tollit necessitatem duplicis adiutorij, quo, & sine quo non, cum quorum altero Adamus velle stareque potuit, & Argeli reipsa voluerunt steteruntque, lapsi homines velle aut stare non possunt. Tollit obsecratque veram radicem necessitatis gratiæ medicinalis, nec sinit intelligere veram naturam ejus, dum æqualiter statuit illam prædeterminationem omnibus necessariam. Denique cogitur inferre non exiguam vim Scripturis factis, quæ singula em Dei gratiam actus nostros bonos operantes prædicant. Eadem quippe Scripturarum phrasæ ad actus quos ipsi statuerunt naturales, adeoque malos quantum ad materiale aptari queunt. Si enim idcirco dixit Christus: *Sine me nihil potestis facere*, quia nihil sine ista generali Dei prædeterminatione facere possumus, cur non id ipsum quoque pro isto adiutorio ad actus naturales, & malos necessario proferramus? Cur non dicamus, nemo potest vineam plantare, aut pecuniam pauperi moraliter dare, nisi pater meus prædeterminando traxerit eum? Cur non de istis omnibus & similibus Dei concursum generalem probantes producamos? *Faciam ut faciatis; Deus enim operatur in vobis velle & perficere*, & similia. Quod si ista etiam rectè ad talis prædeterminationis physice necessitatem altruendam proferrunt, quomodo ergo rectè gratiæ Christiænæ & ex Christi passione nobis collatæ necessitatem probant, quemadmodum ad hoc probandum ab Augustino proferrunt? Nonne perspicue sequitur nihil omnino peculiare pro operibus gratiæ, ex hujusmodi Scripturis posse colligi? Nam solum sequitur nihil nos posse velle aut operari sine præmotione generali omnibus causis necessaria, propter subordinationem causæ secundæ sub primæ, & propter indifferentiam liberæ voluntatis, quæ ad nihil omnino sine Dei præmotione determinari potest. Quæ ratio perinde prorsus locum habet, etsi peccatum voluntati nullam infixisset agritudinem, nihil caro contra spiritum concupisceret. Totum ergo fundamentum gratiæ medicinalis Christi funditus everitur, & Scripturæ subvertuntur, dum gratiæ necessitas, non ex vulnere voluntatis, sed ex naturali ejus indifferentia, & omnium causarum naturali subordinatione sub altiore, suspenditur. Quæ duplex ratio necessitatis gratiæ, sicut in universis Augustini operibus inaudita est, & repugnat principijs ejus, ita quoque in dicitur prædicat

*Fide lib. 2.
de gra. Christi
salvatoris.
cap. 10. 30.*

predeterminationem physicam tanquam gratiam, eò modo & latitudine ad omnem humanæ naturæ status dilatata, ab Augustino sensibus esse remotissimam, & potius vi humanæ philosophiæ, quam Augustinianæ Theologiæ expressam & inventam esse. Nam apud ipsum nulla alia Christi gratia contra Pelagianos prædicatur, quam gratia quæ per incarnationem unigeniti revelata atque donata est: Gratia qua iustificamur ab iniquitate & qua salvamur ab infirmitate: Gratia qua revelata est per passionem & resurrectionem Christi: Gratia qua ipsum nostræ voluntatis arbitrium vere sit liberum, dum a carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur: Gratia denique liberationis, quam implorant quando se hæc dicunt, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ &c. Insuper ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum: quoniam in eis caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, atque in tali certamine laborantes ac periclitantes: DARI SIBI PIGNANDI VINCENDIQUE VIRTUTEM PLR CHRISTI GRATIAM POSCUNT. Hæc est vera gratia Christi, & ista genuina radix necessitatis ejus, prout eam Augustinus in omnibus suis locutionibus docuit. Unde in eodem loco expressissimis verbis tradit Adamum tali adjutorio Christi non eguisse: ILLE NON OPVS

p. 95.

p. 96.
C. 1. 1.
in lib. 1.
de gratia.Vide lib. de
gratia primi
lib. 1. 1. 1.
de gratia.
Christi salutem.

A HABEBAT ADIVTORIO QVOD IMPLORANT ISTI. Nempe quia ille nulla tali rixa a seipso adversus seipsum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur. Tantum ergo abest, juxta sanctum Augustinum, gratiam Christi propter indifferentiam voluntatis esse necessariam, ut potius propter amissam indifferentiam ejus, & propter servitutem ac depressionem ejus sub libidinibus necessaria sit, à qua per potentem illam gratiam Christi liberanda est, & in indifferentiam suam primigeniam, vel potius supra indifferentiam suam primigeniam, in actualem determinationem in alteram partem retorquenda. Quod nullo pacto in statu innocentie integritas ejus postulabat. Unde ibidem Augustinus tradit Adamum disparem gratiam habuisse, & latiore; nos indigere potentiore. Sed de istis iterum ex propriis fundamentis disserere nihil opus est, cum alibi satis fuse demonstrata sint, quando de natura gratiæ primi hominis; itemque hominis lapsi; & utriusque differentia ex Augustini principijs disserimus. Hic omnia breviter tantum tetigisse & memoriam retricuisse satis est, ut differentia gratiæ Christi prout ab Augustino ex Scriptoris tradita est, ab illa prædeterminatione physica, prout ex generalibus illis Philosophiæ principijs astruitur, intelligi possit.

Lib. de Cor.
& gratia.Vide lib. de
gratia primi
lib. 1. 1. 1.
de gratia.
Christi salutem.
p. 1. 2. 3.
usque ad 14.

CAPVT TERTIVM.

Adjutorium Christi determinat ac prædeterminat etiam physice voluntatem, ut velit & ardentius velit, & ex quo capite istud accidat.

QUÆ quamvis ita sese habeant, tantaque inter physicam prædeterminationem, prout à Scholasticis defendi solet; & medicinale Christi adjutorium discrepantia sit, in hoc tamen, uti diximus, cum ea convenit, quod officium physice prædeterminandi voluntatem ei vere competat, eoque vocabulo non abstractè sed concretè sumpto merito appellari possit. Nam hoc ipso quo, secundum principia sancti Augustini, gratia vera Christi, est adjutorium quo fit velle atque perficere; prout ab adjutorio sine quo non distinguitur; itemque adjutorium non potentiale, quo velle & agere possumus, si volumus, sed voluntatis & actionis, quo Deus facit ut reipsa velimus & agamus; prout ea fuse suis locis demonstrata sunt; perspicue patet, istud adjutorium esse tale, ut voluntatem cum quacumque alia gratia in potentia constitutam ad actum protrahat, non si voluerit (quemadmodum gratia Adami & Angelorum, cum qua reipsa steterunt in veritate; proprium fuit) sed ei efficacissimè præbendo ut velit. Non enim expectat ut voluntas secum influat, quemadmodum in adjutorio Ange-

Alorum etiam sanctorum accidebat, quorum voluntas ita fortis erat, ut quemadmodum, & quando; & quantum velle; uteretur aut non uteretur adjutorio; sed facit secum influere voluntatem, applicans eam ad volendum agendumque, quicquid per eam Deus volendum agendumque constituerit. Cum enim per terrenas cupiditates voluntas ad non volendum; imo ad repugnandum determinata sit, tollit istam depressionem atque determinationem in contrarium; & reflectit eam in bonum, non solum si libero arbitrio hoc videatur & velit, sed ineffabili sua luce atque suavitate faciendo ut ei sic videatur, & velit. Sic enim Deus avellit cor lapideum & dat cor carneum, sic animam efficacissima potentate convertit, sic duritiam cordis auferit, sic operatur velle atque perficere, sic ex nolentibus & repugnantibus volentes & consentientes facit. Non enim hoc aliter facit quam voluntatem inclinando, applicando, determinando; & quia prævenit ipsam voluntatis prædeterminationem, etiam prædeterminando, non solum moraliter, sed vera, reali & physica determinatione. Moraliter enim prædeterminatio

M m 4

terminatio